



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Belgici Antistites n. 33

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

31. A PADERBORNENSI Antistite ex Provincia Rhenana existimante, Ex nostro Collegio quasi ex quodam Reipublicæ Seminario piorum, & eruditorum virorum examina proditura, qui sincera imbuti doctrina Ecclesiæ ruinas restituant. Ita in Liter. annuis Soc. ann. 1596. fol. 275.

Societatis Collegia Reip. Seminaria ad Ecclesiæ ruinas restituendas.

32. A QUITENSI In Peruuio, diploma Regium impetrante, ne aut ipsius obitu, aut vlla rerum commutatione, vel Capitulo, vel ei, qui sibi successisset, quidquam immutare liceret eorum, quæ ad Seminarij regimen cum Societate transfegerat. Et quidem nihil sibi opportunius accidisse existimabat ad dicti Seminarij utilitatem, quam Societatem illius administrationi præfuisse. Sic Ibid. fol. 895.

Quitensis Episcopi de Societate existimatio.

33. A BELGICIS Antistitibus asserentibus, & planè fatentibus, Seminarium Religionum Societatis Scholis contineri. Elogium breue, sed grande admodum. Ita in liter. Annuis Soc. ann. 1600. fol. 519.

Eius Scholæ Religionum seminaria.

34. A VENSIENSI, Tanti vel Societatis Sodalitates æstimante, vt diceret: Plus se gloriari, quod scriptum nomen Sodalitati nostræ haberet, quàm Mithra sua, & Episcopatu. Ita in liter. annuis Soc. ann. 1602. fol. 318.

Et Sodalitatibus inscribi insula gloriofus.

35. AB AVGVST. BARBOSA Episcopo Vgentino Scriptore Lusitano vbiq; gentium Iuriconsulto celeberrimo: In Hæreticis (inquit) & infidelibus ad Catholicam fidem reducendis, & maximè in remotissimis regionibus, plurimum, & laudabiliter elaborarunt strenuissimi huius Sanctæ Societatis milites. Hæc in sum. decision. Apostol. Collectan. 169. num. 23.

Socij in Hæreticis & infidelibus reducendis milites strenuissimi.

36. A SECCOVIENSI, Pro conctione non semel dicente, quam vtile futurum Ciuitati Plagenfurtenfi, si in ea Societatis Collegium exigeretur pro iuuentutis institutione, quam felices cuiuscumque conditionis personæ, dum in suis necessitatibus Nostrorum consilio, auxilioque frui liceret: qui nullo facto discrimine, in captiuos, pauperes, ægrotos, quæcumque charitatis opera, tam benigne soleant exercere. Ita in

Societas vtilis Reip. ad iuuentutis institutionem.

Et ad omnia charitatis opera.